



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio XXXV. De Charitate secundùm se.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO TRIGESIMA
QUINTA.De tertiâ & perfectissimâ Theologicarum
virtutum, scilicet CHARITATE.

IACTO spiritualis adificii fundamento, Fidei inquam naturâ ac proprietatibus declaratis, Speq; Theologicarum Virtutum aliâ ei adjunctâ, nunc de Charitate agendum. Hæc nimirum est gemma Virtutum, quæque inter reliquas, velut Sol inter sidera splendescit, eximiiq; fulgoris ac pulchritudinis radios expandit, & ceteris virtutibus ornatum singularem ac venustatem ex sui consortio impertit. Hæc est vinculum illud perfectionis, quod felicissimo nexu, & homines Deo, & inter se propter Deum, ejusque dilectionem conjungit. Hæc denique thesaurus est pretiosissimus, animiq; opes, quas proinde quisquis possidet, locupletior multo est, quàm si quotquot in mundo sunt divitia ac facultates, in unum congestas, sub suâ haberet potestate. Nobilissima ergo hujus virtutis dignitas & præstantia, sublimisque ejus perfectio isthuc explicanda.

SECTIO PRIM A.

Quid sit Charitas, & an sit aliquid creatum.

I.
Cur brevior esse possit hic de Charitate tractatus.



SUMMA inter tres Theologicas Virtutes in variis est affinitas. Cum ergo multa, quæ ad virtutum Theologicarum cognitionem generatim spectant, in duobus præcedentibus de Fide & Spe tractatibus discussa ac declarata sint, hic denuo non sunt repetenda, eaque de causâ hunc de Charitate tractatum paucioribus expediemus.

II.
Charitas est affectus benevolentia, quo Deum diligimus propter seipsum.

Dico primò: Charitas est virtus illa, per quam ad Deum propter se amandum disponimur, sicut Spes est virtus, qua ad eum diligendum nobis, seu ut bonum nostrum inclinamur. Est proinde affectus benevolentia, quo in Deum ex toto corde tendimus, eumque super omnia ob summam ejus excellentiam & perfectionem diligimus, non amore concupiscentia, & ut est bonus nobis.

Quare dum S. Thomas hic, quæst. 23. art. 4. dicit objectum Charitatis esse bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum; hoc inquam intelligendum est Deum scilicet esse objectum Charitatis, non secundum unum vel alterum solummodo attributum, misericordiam nimirum aut justitiam, sed secundum omnia, totamque suam bonitatem & perfectionem intrinsecam.

Et hoc conforme est illi sententiæ Theologorum, qui dicunt, si quis unum aliquod vel duo attributa divina videret intuitivè, non visis reliquis; dicunt inquam visionem illam, quamvis intuitivam, non fore beatificam, ad hanc enim aiunt necessarium esse, ut non unum tantum vel alterum, sed omnia Dei attributa videantur intuitivè.

Dico secundò: Charitas est donum aliquod creatum, à Deo hominum animis infusum, & instar habitus iis permanentè inherens: ita cum S. Thoma 2. 2. quæst. 23. art. 2. communis habet Theologorum consensus contra Magistrum in 1. Dist. 17. dicentem, Charitatem non esse quid creatum, sed ipsum Spiritum Sanctum, actus amoris Dei in nobis per se immediatè efficientem.

In hanc

III.
Charitas est quid creatum, hominum animis à Deo infusum.

In hanc verò sententiam incidit ex quibusdam D. Augustini locis malè intellectis : quam etiam Magistri sententiam Scotus, & alii nonnulli putant esse probabilem.

IV. Ostenditur Charitatem esse quid creatum.

Fides & Spes sunt quid creatum, ergo & Charitas.

V. Hoc ipsum ulterius declaratur.

Apostolus, & Conc. Tridentinum docent Charitatem esse quid creatum.

VI. Quodam Magistri responso respicitur.

In baptismo homines accipiunt principia habitualia a Deum.

VII. Dicitur Deus in Scriptura vocatur Charitas.

Deus prorsus dicitur Charitas.

Quare S. Joannes dicit Charitatem esse Deum.

Nostra tamen conclusio, Charitatem scilicet esse quid creatum, certa adeo est, ut multi eam putent esse de Fide, vel ita proximam Fidei, ut contraria jure censeatur erronea. Probatur ex variis Scripturæ & Conciliorum testimoniis, quibus hæc veritas ita aperte traditur, ut dubitari de eâ omninò non possit. Primæ ergo ad Corinth. c. 13. v. 13. ait Apostolus, *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, &c.* cum ergò hoc loco ab Apostolo Charitas annumeretur Fidei & Spei, quas esse habitus creatos & qualitates Magister ipsemet non negat, nullo fundamento hoc negatur de Charitate.

Clarius hoc ostenditur ex illo ad Romanos: c. 5. v. 5. ubi sic loquitur D. Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, &c.* ubi aperte distinguitur Charitas, à Spiritu Sancto eam infundente, sicut causam à causâ. Deinde idem Apostolus 1. ad Corinth. cap. 12. Charitatem & alias virtutes vocat charismata & dona Spiritus Sancti, per hoc aperte indicans, tam illas quam Charitatem esse aliquid à Deo distinctum. Concilium etiam Tridentinum sess. 6. cap. 7. docet Charitatem diffundi in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inherere: unde addit: *In ipsâ justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, Spem & Charitatem.* Idem etiam habetur Can. 11. his verbis: *Si quis dixerit, homines justificari, vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & Charitate, que in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhereat, &c. anathema sit.* Eandem denique doctrinam tradunt sancti Patres, S. Augustinus, S. Hieronymus, & alii.

Nec satisfacit quod respondet Magister, diffundi scilicet in nobis à Spiritu Sancto charitatem, dum in nobis actum Charitatis producit: contra enim hoc est, Concilium liquidem, non de actu Charitatis loquitur, sed de principio permanente actum elicitive. Deinde, ut supra diximus, Concilium eodem modo de Charitate loquitur ac de Fide, hanc verò non negat Magister esse donum permanens, à Spiritu Sancto distinctum. Tertio, docet Concilium nos Charitatem & reliqua dona recipere in baptismo, ibi autem non actus accipiunt homines, sed principia habitualia, & permanentia ad actus, ubi opus fuerit, eliciendos.

Objicies: 1. Joan. cap. 4. v. 8. Deus dicitur esse Charitas: in quam rem S. Augustinus libro 15. de Trinit. cap. 17. ait non eâ ratione dici Charitatem sicut dicitur Spes nostra, sed *Ita, inquit, dictum est, Deus est charitas, sicut dictum est, Deus est spiritus.* Respondetur, Deum verè & propriè esse charitatem, quia per seipsum & se & creaturas diligit, sicut etiam est justitia, quemadmodum tamen non est justitia qua nos justus sumus, sed qua ipse est justus, ita neque est charitas qua nos eum diligimus, sed qua ipse diligit nos. Ideo verò S. Joannes loco citato dicit Charitatem esse Deum, ut eò efficacius nos hortetur ad Charitatem cum omnibus habendam, cum nimirum tantæ dignitatis & excellentiæ sit, ut etiam in Deo reperiatur, imò sit ipse Deus; non tamen dicit S. Joannes, Charitatem in Deo esse illam, qua nos diligimus Deum, sed qua Deus diligit

P. R. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

nos, quæ nimirum Charitas est increata, & ipse Deus, nostra autem creata, & animæ à Deo infusa, eique inherens. Propterea autem Charitas & gratia delent peccata mortalia, non quia sunt virtutis simpliciter infinitæ, sed quia dant denominationes, peccati denominationibus oppositas, ut latè ostensum est Tomo præcedente, Disputatione centesimâ vigesimâ tertiâ.

Charitas non habet virtutem simpliciter infinitam.

SECTIO SECUNDA.

Alia quedam circa naturam & notionem Charitatis.

Dico tertio: Charitas est vera amicitia erga Deum, seu amor reciprocus inter amicos, nam, ut ait S. Thomas hic, quæst. 23. a. 1. Corpore, *ad rationem amicitia requiritur quedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus.* Hanc proinde conclusionem cum Doctore Angelico tenet communis Theologorum sententia. Probatur verò assertio variis Scripturæ locis; sic enim Joan. 15. vers. 14. dicit Christus: *Vos amici mei estis, si feceritis ea, quæ præcipio vobis: & versa sequente: Tam non dicam vos servos, sed amicos.* Item Psal. 138. vers. 17. *Nimis honorati sunt amici tui Deus:* idemque passim in aliis Scripturæ locis habetur.

I. Charitas est vera amicitia erga Deum.

Ratio optima est, quam assignat S. Thomas loco proximè citato; ad amicitiam namque requiritur, & sufficit, ut inter amicos sit bonorum communicatio, sed inter Deum & hominem maxima est communicatio, primò naturæ, homines namque per Charitatem & gratiam participes redduntur divinæ naturæ: deinde voluntatum, Deus enim *voluntatem timentium se faciet, & exaudiet eos:* præterea cujusdam beneficentiæ. Unde Apostolus ad Romanos 8. vers. 32. *Quomodo, inquit, non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Ad Corinthios etiam 1. cap. 3. vers. 22. *Omnia vestra sunt, &c. sive presentia, sive futura:* 1. etiam ad Corinthios, cap. 2. vers. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

II. Declaratur quo pacto Charitas sit vera cura Deo amicitia.

Variis modis Deus se justis comunicat.

Ex quibus constat summam inter Deum & homines justos esse bonorum communicationem, & consequenter veram amicitiam. Quare dum Aristoteles 8. Ethic. cap. 7. negare videtur inter Deum & hominem, Regem & mancipium dari amicitiam, ob summam inter eos inæqualitatem, & distantiam, de homine loquitur considerato præcisè secundum id quod ex naturâ suâ habet, non verò in quantum per gratiam fit particeps divinæ naturæ, sub qua ratione Aristoteles hominem non cognovit. Quamvis ergo nec sub hac etiam consideratione sit omnimoda æqualitas, hæc tamen conditio non obstat, quin vera amicitia inter Deum & hominem intercedat, ut ex locis Scripturæ num. 1. citatis convincitur: quæ quidem non est amicitia æqualitatis, sed supereminentiæ, qualem etiam inter Regem & subditum dari posse fatetur Aristoteles.

III. Quo sensu negat Aristoteles dari inter Deum & hominem amicitiam.

Dico quartò: Charitas est virtutum omnium excellentissima. Hoc aperte ostenditur ex illo 1. ad Corinthios, cap. 13. vers. 13. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: *Major autem horum est Charitas.* Ratione hoc idem probatur: & quidem quoad virtutes morales minor est difficultas, illæ etenim in particulari

IV. Charitas est virtutum præstantissima.

R tantum

TOM. II.

tantum materiã voluntatem nostram huic vel illi honestati, quam unaquaque peculiariter respicit, conformant, Charitas verò voluntatem Deo, omnique honestati propter Deum perfectissimè, ratione scilicet præstantissimi motivi, & universalissimè conformat. Unde multo etiam perfectiùs procedit quàm Spes, hæc enim, quamvis universaliter aliquo modo tendat, in motivo tamen multis gradibus cedit Charitati, Spes namque inclinatur ad voluntatem nostram divinã subjiaciendam ob bonum & commodum proprium, quia nimirum inde quis præmium expectat, Charitas verò purissimo nobilissimoque modo procedit, & omnia ad Dei honorem faceret, etiamsi nullum sequeretur præmium, aut quidquam commodi inde proveniret operanti: unde Charitas eminenter continet omnes virtutes. Confirmatur; illa siquidem virtus est perfectior, quæ est conformis regulæ perfectissimæ, hoc autem absque omni controversiã convenit Charitati, perfectissima enim regula est voluntas divinã, cui in omnibus, ut dictum est, operantem conformat Charitas.

Quaratione Spes sit inferior Charitati.

Perfectissimus in Charitate procedendi modus.

Charitas conformans operantem regulæ perfectissimæ.

V.

Ostenditur Charitatem esse perfectiorem Fidei.

Hinc à fortiori sequitur actum Charitatis, & consequenter habitum, esse perfectiorem Fidei; inprimis enim actus Fidei nullam habet libertatem, nisi ab aliquo actu voluntatis sibi communicatam: deinde habet ingenitam obscuritatem, sicque naturaliter imperfectum in se involvit procedendi modum: Charitas verò, ut jam ostensum est, modo longè perfectissimo procedit, Deoque animam intimè conjungit, ejusque in omnibus honorem spectat, non commodum operantis; de qua proinde 1. ad Corinth. c. 13. vers. quinto, ait Apostolus: *Non querit quæ suæ sunt.*

VI.

Charitatis actus remissus superari potest ab intensivo actu alterius virtutis.

Quæ tamen hac in parte de Charitate dixi, intelligenda sunt, *per se loquendo*, & ceteris paribus; non enim negandum videtur, quin actus aliquis intentissimus alterius virtutis exquare, imò & excedere in perfectione possit remissum aliquem actum Charitatis. Solum ergo dicimus Charitatem ex genere suo esse Virtutum perfectissimam, hoc est dari actus aliquos Charitatis perfectiores ullis actibus aliarum virtutum, ut clarè constat ex jam dictis. Imo nonnulli existimant, actum amoris Dei super omnia hæc in viã omnibus aliarum virtutum esse, etiam in entitate physicã perfectiorem.

VII.

Virtutes alias quoad statum non sunt perfecta sine Charitate.

Ex hac Charitatis summã inter virtutes præstantiã passim à Theologis appellatur regina Virtutum. Deinde, esto virtutes aliæ quoad entitatem suam, seu substantiam perfectæ esse possint sine Charitate, cum hæc nihil iis addat perfectionis intrinsecæ, quoad statum tamen absque Charitate perfectæ esse non possunt: ita cum S. Thomas hæc communis habet Theologorum sententia. Hinc Apostolus 1. ad Corinthios 13. v. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ratio est, ille enim censetur status perfectus virtutum, dum ita in hominis animã existunt, ut ei profint ad beatitudinem, quantumcunque verò aliis virtutibus homo sit instructus, si tamen desit Charitas, caelestem beatitudinem nunquam assequetur. In quam rem appositissimè S. Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 18. *Ipsam Fidem, inquit, non facit utilem nisi Charitas: sine Charitate quippe Fides potest esse, sed non prodesse.*

Alia virtutes sine Charitate homini non profunt ad beatitudinem.

Hac de causã Charitas à Theologis appellari solet *Forma virtutum*, quòd nimirum novam iis vim ac dignitatem moralem conferat, nempe rationem meriti; sine Charitate siquidem Fides & aliæ virtutes non sunt meritoria. Hinc, ut supra in materiã de Fide notavimus, desumpta est illa distinctio *Fidei informis & formate, mortuæ & vivæ*, secundum scilicet diversum statum ejusdem etiam numero habitus Fidei, sine Charitate enim nec Fides, nec ulla alia virtus reddit hominem vivum, nec aeternæ vitæ fructum confert.

Dices, hinc sequi nullam omnino virtutem, præter Charitatem, esse veram virtutem, cum nulla secundum se reddat hominem bonum, seu vivum, sed eum in peccato mortali relinquat. Negatur tamen consequentia; ad hoc enim ut aliquid sit vera virtus, non est necessarium ut qui actum illum elicit, reddatur absolute bonus, seu sine gravi peccato, sequeretur namque, si Deus statuisset alicui peccatori actum contritionis seu Charitatis elicienti non remittere peccata, sequeretur inquam, actum etiam Charitatis non esse veram virtutem. Ut ergo actus aliquis sit vera virtus, sufficit eum esse honestum & laudabilem, quòdque illum exercens censetur per eum benè vivere, & mereatur commendationem.

VIII. Charitas est virtus aliam virtutem informans.

IX. Ad hoc sit aliquid sit vera virtus non requiritur ut homo non reddat justum.

Quid ad conceptum vera virtus sit sufficiens.

SECTIO TERTIA.

De unitate & simplicitate Charitatis.

DIXIMUS Sectione primã Charitatem esse virtutem, est enim *bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus male uritur*, quo pacto, ut Tomo præcedente, Disp. 97. vidimus, Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 4. definit virtutem, approbatque tota Theologorum schola, ac desumptum hoc videtur ex Aristotele 2. Ethic. cap. 6. ubi virtutem esse ait, *qua bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Deinde versatur Charitas circa objectum longè honestissimum, Deum scilicet, ad quem super omnia diligendum inclinatur ac disponit, quo nihil esse potest honestius, aut perfectius.

Dices: Virtus juxta Philosophos in hominibus efficit, ut facile operentur, seque circa objectum, quod virtus aliqua peculiariter respicit, delectabiliter exercent; secus verò res se habet in Charitate, sæpè enim accidit, ut dum bonum aliquod creatum occurrit, homo in illud feratur, & Deo præferat, quod non faceret si Charitas, amoris circa Deum exercitium ita facile redderet. Respondetur, hoc nihil facere contra Charitatem infusam, de qua hæc loquimur, habitus quippe infusi non dant facile posse, sed simpliciter, ut frequenter in superioribus ostensum est. Si autem sermo sit de charitate naturali, & habitu acquisito, solum dat operari facile & delectabiliter, quando est habitus intensus, & diu quis in actibus amoris Dei se exercuit, tunc enim bonum quodcumque creatum præ Dei amore facile contemnet. Et hoc argumentum perinde probaret nullam omnino dari virtutem, cum nulla sit, quæ difficultatibus occurrentibus aliquando non cedat, & à vitio contrario interdum non vincatur: eò tamen dat plus vel minus facile operari, quòd est perfectior, & per plures actus in animo firmata ac radicata.

I. Variè dicitur Charitatem esse virtutem.

II. Objectum virtutis Charitatem esse virtutem.

Quando bonus virtutis acquisitus des operari facile, ac delectabiliter.

Quamvis

SECTIO QUARTA.

Virum Charitas eadem sit in via, & in patria.

Uobis modis intelligi potest hæc quæstio, primò quoad entitatem, seu utrum idem numero habitus Charitatis, qui fuit in via, in patria conservetur. Secundò quoad intensiorem, an scilicet habitus Charitatis in via æqualis sit intensiorem cum Charitate in patria: qua in re non levis est inter Theologos controversia. Primum hac Sectione discutemus, secundum sequente.

Quoad primum itaque: Idem non specie tantum, sed etiam numero Charitatis habitus in patria manet, qui fuit in via. Hec est communis Theologorum sententia, probarique apertè videtur ex illo Apostoli 1. ad Corinthios 13. v. 8. Charitas nunquam excidit, quod, ut rectè advertit Suarez hic, Disp. 3. Sect. 3. de eadem specie & numero Charitate intelligendum est, alioqui scientia & cognitio non destruerentur, quas tamen illic destructum iri docet Apostolus; sequela probatur, loco enim scientia, quam hic habemus, alia longè diversæ rationis in patria succedet.

Quoad actus verò Charitatis, utrum scilicet idem specie eliciantur in cælo, atque hic in via, dissident inter se Theologi: negat Scotus, Cæpreolus, Caietanus, Dionysius Carthusianus in 1. Dist. 17. quæst. 8. & alii. Communis tamen Theologorum sententia affirmat, non solum habitum, sed etiam actus Charitatis ejusdem esse speciei in via & in patria: ita Magister in 3. Dist. 31. & S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 2. quos alii sequuntur. Ratio est: tota enim horum actuum differentia est accidentalis, objectum siquidem formale, à quo præcipue desumitur essentia cujusque actus, est idem, divina scilicet bonitas supernaturalis, cognitio autem solum est diversa illius applicatio, unde non facit mutationem essentialem seu intrinsecam in actu, sed accidentialem tantum & extrinsecam. Quod verò objectum amoris in patria sit præsens, Deus scilicet visus & intimè conjunctus beato, non facit diversitatem in amore; amor enim, ut sæpius ex communi doctorum sententiâ dictum est, abstrahit à præsentia & absentia rei amatae, & in hoc differt à gaudio & desiderio, quorum primum exigit præsentiam, secundum absentiam objecti, & præterea desiderium & Spes, ut jam ostendimus non manent in patria, eo quòd hanc in se involvant imperfectionem, exigentiam scilicet absentia objecti. Unde Patres dum dicunt eandem Charitatem manere in patria & via, de actibus præcipue loqui videntur: quòd etiam dici potest de loco D. Pauli supra, num. 2. citato. Quare probabilissimum mihi videtur, quod affirmat Suarez citatus, Beatissimam scilicet Virginem actum amoris Dei, quem in hac vitâ circa illius finem habuit, non interrupisse, sed eundem numero in patria continuasse, licet quoad aliquas circumstantias extrinsecas, ut libertatis, &c. & perfectionem quandam accidentialem fuerit mutatus; in quo autem perfectio hæc sita sit, dicetur postea.

Objiciunt aliqui, actum Charitatis in via & patria habere diversa objecta, in via enim Deus non

I. Status præsentis quæstionis proponitur.

II. Idem habitus Charitatis, qui fuit in via manet in patria.

III. Actus etiam Charitatis ejusdem speciei sunt in via & in patria.

Amor abstrahit à præsentia & absentia objecti.

Beatissima Virgo actum amoris Dei in morte non interrupit.

IV. Deus in via non

III. Habitus Charitatis censeri potest una virtus.

Habitus infusus est acquisitus Charitatis distinguuntur specie.

IV. Non unum tantum, sed varia eidem virtuti opponi possunt vitia.

V. Equè habitus infusus aliarum virtutum moralium per quodvis peccatum grave expelluntur, ac habitus infusus Charitatis.

VI. Habitus infusus Charitatis est una simplex qualitas, non composita ex partibus extensivis.

Probabilissimum est habitum acquisitum Charitatis esse tam intensivè, quam extensivè divisibilem.

Quamvis autem habitus Charitatis circa objecta diversissima versetur, ut circa Deum & proximum, resque omnes ad salutem spectantes, & consequenter actus etiam diversissimos eliciat, cum, ut supra diximus, objectum etiam materiale diversum sufficiat ad reddendum actus specie distinctos, potest nihilominus censeri una virtus ratione objecti formalis, quod respicit, & in quod principaliter fertur. Habitus tamen infusus Charitatis specie distinguitur ab habitu acquisito, tum quia est supernaturalis, hic verò naturalis, tum quia habet se per modum potentia, & dat simpliciter posse, habitus autem acquisitus hoc non facit, sed tantum dat operari facile: quæ abundè sufficiunt ad distinctionem specificam.

Quod verò dicunt aliqui, uni virtuti unum solummodo vitium opponi, & exinde ostendere conentur Charitatem non posse censeri unam virtutem, utpote cui tot opponuntur vitia, quot sunt peccata mortalia, quorum singula illam expellunt, in aliis autem vitiiis, ira exempli gratia expellit patientiam, luxuria castitatem, gula temperantiam, & sic de cæteris: hoc inquam, non subsistit; inprimis enim eidem virtuti diversa vitia opponuntur, ut liberalitati avaritia & prodigalitas, & sic de aliis.

Deinde vel est sermo de habitu infuso Charitatis, vel acquisito: si primum, æquè habitus infusus patientia, & castitatis, aut alterius cujuscunque virtutis moralis per quodvis peccatum mortale expellitur ac habitus infusus Charitatis, utpote qui unâ cum Charitate omnes semper incedunt. Si verò sermo sit de habitu acquisito Charitatis, non expellitur per quodvis peccatum mortale, sed per vitium sibi oppositum, instar virtutum moralium, quarum singula contrario sibi peccato minuuntur, & corrumpuntur.

Adde ulterius, habitum infusum Charitatis, quamvis ex diversis partibus intensivis componatur, intensior siquidem in uno est, quam in alio, ex diversis tamen partibus extensivis, per quas ad alia & alia objecta extendatur, non constat, sed est una simplex qualitas, quæ per modum potentia dat vim & virtutem ad actus quoscunque infusos Charitatis eliciendos, & in hoc similis est intellectui & voluntati, quæ sunt potentia naturales, habentes vim & facultatem actus circa quæcunque, etiam diversissima objecta exercendi.

Quoad habitum verò acquisitum Charitatis probabilissimum videtur eum instar aliorum habitum naturalium ex diversis partibus extensivis componi, per quas difficultatem tollat, quæ in diversorum actuum exercitio occurrit, ac proinde diversa facilitas diversum requirere videtur principium, seu partem in habitu sibi respondentem: etsi existimem sustineri haud difficulter posse, habitum etiam acquisitum Charitatis esse extensivè indivisibilem, & diversam illam facilitatem in diversitatem apprehensionum bonitatis in objecto, vel actuum eliciendorum refundi posse.

TOM. II.

non quoad unum vel alterum attributum cognoscitur, & consequenter amatur, in patriâ autem Deus per visionem beatificam, omnisque ejus perfectio uno actu cognoscitur, & amatur, cum ergo maxima in horum actuum objectis sit diversitas, eadem erit diversitas in actibus. Respondetur Deum in viâ & cognosci & amari uno actu posse, non solum in adæquatè secundum unum vel alterum attributum, sed quia summum bonum est, omnemque in se perfectionem continet, sicque in actibus amoris Dei in viâ & in patriâ potest frequenter ex parte objecti nulla esse differentia.

Tanta dari potest diversitas actuum amoris Dei in patriâ, ac in viâ.

non plenè & perfectè, sed secundum unum tantum vel alterum attributum cognoscitur, & consequenter amatur, in patriâ autem Deus per visionem beatificam, omnisque ejus perfectio uno actu cognoscitur, & amatur, cum ergo maxima in horum actuum objectis sit diversitas, eadem erit diversitas in actibus. Respondetur Deum in viâ & cognosci & amari uno actu posse, non solum in adæquatè secundum unum vel alterum attributum, sed quia summum bonum est, omnemque in se perfectionem continet, sicque in actibus amoris Dei in viâ & in patriâ potest frequenter ex parte objecti nulla esse differentia. Addo, etiam in patriâ, sicut juxta sententiam quam Tomo præced. Disp. 19. sect. 3. secutus sum, cum possit non tantum una Persona intuitivè videri sine aliâ, sed Essentia sine Relationibus, & unum Attributum sine alio, posse summam esse varietatem in actibus amoris, secundum diversitatem objectorum. Nec est cur actus amoris ortus ex cognitione abstractivâ non habeat idem objectum formale quod habet amor ortus ex cognitione intuitivâ. Denique quod actus amoris in patriâ sit necessarius, in viâ liber, non arguit distinctionem specificam; libertas enim & necessitas sunt circumstantiæ tantum accidentales; unde, ut ostendi Disputatione 24. de animâ, sect. 5. idem numero actualiter fertur in necessarium transire potest, & è contra.

SECTIO QUINTA.

Vtrum Charitas ejusdem intensiois sit in viâ, & in patriâ.

I. Circa intensioem Charitatis in viâ & in patriâ dupliciter procedere potest questio.

Duplex perfectio Charitatis.

II. Prima sententia est Charitatem in patriâ esse simpliciter perfectiorem Charitate viâ.

Summa Beatissima Virginitas fuit in hac viâ Charitas.

PROCEDERE potest questio vel de eodem habere habitum Charitatis in patriâ, quàm habuerit in viâ, vel de diversis subjectis, an scilicet in aliquo viatore inventa sit, aut inveniri possit Charitas intensior, quàm in beato. Quia verò nonnulli questionem hanc confundunt cum perfectione Charitatis, notandum perfectionem Charitatis, esse posse duplicem, intrinsecam quæ in intensione consistit, & extrinsecam, ratione scilicet status beatitudinis, per quam habet Charitas quod amitti non possit, sed Deus semper Beatis sine intermissione ametur. De hac perfectione hic in præfenti non loquimur, sed de præcedente.

Quoad intensioem ergo existimant nonnulli Charitatem in patriâ esse absolute intensiorem Charitate viâ: ita Azor tomo primo, lib. 9. c. 3. quest. 8. dicens esse communem Theologorum sententiam. Idem docet Lorca 2. 2. Disp. 18. sect. 3. num. 7. ubi ait quemlibet Sanctum primo instanti beatitudinis tot gradus intensiois Charitatis accipere, ut Charitas minimi Sancti excedat in intensioe Charitatem cujusunque viatoris, illâ tantum Charitate exceptâ, quam in viâ habuit Beatissima Virgo, hujus enim Charitas ob maximam quam habuit dignitatem & excellentiam, etiam in viâ longè fuit perfectissima, utpote quam à primo conceptionis instanti ad ultimum vitæ instans tam in somnis, quàm in vigiliâ sine ullâ interruptione auxit, & novis semper incrementis in omni perfectione sanctitatis, gratiæ & Charitatis progressâ est, sicut Aurora usque ad perfectum diem.

Nec ab horum auctorum sententiâ discrepare videtur Caietanus, quamvis obscure hac in re loquendo ita mentem suam tenebris quibusdam involvat, ut ægrè percipi possit quid velit. Dicit itaque statum viæ & patriæ esse quasi ætatem puerilem & virilem: unde, inquit, Charitas patriæ perfectiones omnes Charitatis viæ altiore & eminentiore modo continet, ergo illam multis gradibus superat. Sed hæc Caietani ratio solum probat id quod numero primo notavi, nempe Charitatem patriæ superare Charitatem viæ in perfectione extrinsecâ, ratione scilicet status beatitudinis, à quo statu habet quod amitti nequeat, sed beatus affectu amoris in Deum semper tendat, nec eum unquam valeat intermittere; nil tamen probat de perfectione Charitatis intrinsecâ, seu intensioe graduum.

Alio ergo modo hanc majorem perfectionem explicat Caietanus, ex parte scilicet objecti, majore scilicet illius approximatione, & ex parte subjecti, nempe secundum majorem attentionem, seu conatum ipsius, qui actum amoris elicit; quantumcumque verò, inquit, quis hujusmodi conatum adhibeat, qui est modus Charitatem eliciendi in viâ, nunquam tamen pertinet ad charitatem patriæ, ubi, ut loquitur ipse: Anima expedita à visione enigmaticâ, & posita in facili visione Dei, in ipsum totaliter actualiter fertur; quod impossibile est convenire viatori. Quo fit, ut quantumcumque aliquis proficiendo in hac viâ appropinquet ad Deum; magis ac magis in charitate crescendo, nunquam pervenire possit ad hoc, ut totaliter actualiter amet Deum, sicut videns illum facie ad faciem: hæc ille. Sed contra: hæc enim facilitatem quidem & feliciter ostendunt esse amorem Dei in patriâ, quàm in viâ, non tamen intensiorem; facilitatem, quia minore labore ac difficultate elicitur, imò ex infinitis Dei perfectionibus clarè visis rapitur voluntas, & in Deum necessariò fertur; feliciter, quia ut jam dictum est, in illo statu elicitur ubi bonorum omnium habet concomitantiam, & nunquam potest intercidere.

Prima Conclusio: Charitas quoad perfectionem intrinsecam, seu intensioem, perfectior esse potest in aliquo viatore, quàm in aliquo beato, idque non quoad habitum tantum, sed etiam quoad actum. Hoc inde clarè ostenditur; quis enim dicit habitum Charitatis, quem in cælo habet infans aliquis statim post baptismum è vitâ decedens, & in cælum receptus, esse æqualis intensiois cum habitu Charitatis eximii alicujus Sancti, etiamnum in hac vitâ degentis, qui se per multos annos in ferventissimis amoris Dei actibus exercuit, & habitum miris incrementis auxit, atque ad summam perfectionem perduxit. Quod à fortiori de habitu Charitatis Beatissimæ Virginis, dum adhuc in terris degeret, asserendum.

Hoc etiam facile probatur de intensioe actuum Charitatis, seu amoris Dei, qui in hac vitâ per habitum Charitatis à viatore eliciuntur, posse scilicet eos, actibus alicujus beati in intensioe esse perfectiores. Quid enim obstat, ut quis in hac vitâ degens actum Charitatis eliciat habitui, quem hic habet, in intensioe æqualem, cum principium sufficiens habeat ad hujusmodi actum eliciendum, unde non est cur eum, si velit, ad agendum non applicet: cum ergo, ut proximè ostensum est, aliquis in hac vitâ habeat Charitatis habitum intensiorem habitu Charitatis alicujus beati,

III. Quid de Charitate in viâ & patriâ dicitur? scilicet Caietanus.

IV. Non sufficit Caietanus, scilicet de diversitate Charitatis ex parte objecti & subjecti.

Facilior est actus Charitatis in patriâ, quàm in viâ, non tamen intensior.

V. Charitas intensior perfectior esse potest in aliquo viatore, quàm in patriâ.

VI. Idem ostenditur de aliis Charitatis in hac vitâ ex vi habitus Charitatis elicitur.

SECTIO SEXTA.

Argumenta contententia Charitatem patriâ superare in intensione Charitatem viâ.

beati, actus etiam Charitatis habere poterit actibus Charitatis illius beati intensiores. Ex quibus constat, non subsistere quod ait Caietanus citatus, minimam scilicet Charitatem patriâ includere omnem perfectionem Charitatis, quam quis habet in viâ; jam enim ostendimus non semper includere omnem intensiorem Charitatis viâ, intensio autem est aliqua perfectio.

VII. Secunda conclusio: Si sermo sit de eodem subiecto, probabilis mihi videtur, habitum Charitatis, quem beatus habet in patriâ, non excedere intensiorem habitum, quem habuit in viâ. In aliâ tamen perfectione, tam habitus, quam actus, etiam minus intensi in beatis excedunt habitus & actus, etiam intensissimos viatoris: est contra auctores num. 2. citatos.

VIII. Ratio primæ partis est, nullum enim est fundamentum, ut postea ostendatur, quare gratia omnibus, quæ bonis actibus hic elicitis, vel quæ Sacramentorum susceptioni debetur, non statim conferatur, sed ad ingressum patriâ differatur, nullâ autem ratione dicendum gloriam in patriâ esse in quoquam majorem gratiâ, cum gratiâ, ut docent passim Theologi, sit radix gloriæ, & hæc ipsi in gradibus respondeat. Multo verò minus est probabile, gradus aliquos gratiæ aut gloriæ initio beatitudinis cuiquam merè gratis conferri, tunc enim post hanc vitam non reciperemus prout gesimus, contra illud Apostoli 2. ad Corinthios, cap. 5. vers. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Secundum verò hunc dicendi modum, non prout gesimus, sed sine comparatione plus quam gesimus, reciperemus. Quoad actus quidem Charitatis, remissiores plerumque sunt in viâ, quàm in patriâ, nil tamen obstat, ut ostensum est, quo minus in viâ per habitum Charitatis eliciatur actus aliquis æquè intensus, atque est ullos actus Charitatis in patriâ. Hanc proinde sententiam tenet Suarez de Reviviscentiâ meritorum, Disp. 2. Sect. 3. num. 50. & Tomo 4. in 3. partem, Disp. 47. Sect. 2. n. 5. Malderus 2. 2. quæst. 24. artic. 2. Tannerus quoad habitum, hic, Disp. 2. quæst. 2. dub. 3. Coninck, & alii.

Non dantur liberaliter initio beatitudinis gradus aliqui gratiæ & gloriæ.

IX. Secunda conclusionis pars, quod scilicet, quamvis habitus Charitatis in viâ & in patriâ sint in intensione æquales, in aliâ tamen perfectione Charitas patriâ excedat Charitatem viâ, præter dicta probatur; Charitas namque in patriâ est firma, constans, perpetua, necessaria & indefectibilis, & omnis, etiam minimæ maculæ perfectissimè expers ratione status beatifici, qui, ut est honorum omnium complexio, ita & malorum exclusio. Deinde in viâ ratione tentationum, aliarumque identidem occurrentium molestiarum, retardatur homo ab amore Dei eliciendo, & non nisi ægrè interdum hunc actum elicit: at verò in patriâ nihil est quod eum hac in parte retardet, sed omni ablato impedimento, in Deum toto affectu voluntas rapitur, æternumque rapitur, nullam unquam, vel intermissionem habitura, vel remissionem. Nec parum ad Charitatis in patriâ commendationem facit, quod multò perfectiùs rationem amicitiae sortiatur, quàm in viâ, ob perfectissimam scilicet conjunctionem cum Deo, bonorumque communicationem: propter quæ Scriptura & Patres Charitatem viâ pueritiæ comparant, Charitatem verò patriâ ætati virili.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

OBJICIES primò: Christus Matthæi II. cum dixisset: Inter natos mulierum non superavit major Joanne Baptista, statim subiungit: Qui autem minor est in regno celorum, major est illo. Confirmatur: Scriptura siquidem, ut proxime diximus, Charitatem patriâ ætati virili comparat, Charitatem autem viâ pueritiæ: hinc Apostolus I. ad Corinthios 13. sic habet: Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Quo loco etiam alia habet, quibus Charitatem patriâ longè præferendam censet Charitati viâ. Deinde sacræ litoræ Charitatem viâ conferunt cum aurorâ, Charitatem verò patriâ cum meridie, seu luce claræ diei, ergo hæc Charitas est illâ in intensione multò perfectior.

Ad argumentum respondetur; non aliud eo loco velle Christum, quàm minimum Sanctum in cælo, seu beatum esse D. Joanne Baptistâ majorem, tum ob perfectiorem Dei notitiam, rerumque aliarum cognitionem, quam clara illa & beatifica visio confert, quæ haud dubio præstantior longè est omni cognitione, quæ in hoc mundo habetur, tum ob gratiam & Charitatem, non quoad intensiorem, quoad hanc enim, ut ostensum est, gratia & Charitas iusti alicujus in hac vitâ sæpè excedit Charitatem multorum in patriâ, sed ob firmitatem, constantiam, indefectibilitatem, & alia, quæ Sectione præcedente, num. 9. sunt posita.

Ad confirmationem eodem modo respondetur, Charitatem scilicet viâ ideo comparari auroræ & pueritiæ, Charitatem verò patriâ claræ luci & ætati virili, non ob majorem intensiorem gradualem, ut jam declaratum est, sed ob alias perfectiones, quæ Charitati in statu beatitudinis peculiariter competunt, & habentur loco proxime citato. Deinde Apostolus loco illo I. ad Corinthios 13. solum agit de Scientiâ, quæ absque omni dubio præstantior multo erit in patriâ, quàm sit illa, quam habemus in hac vitâ.

Objicies secundò: Actus voluntatis sequuntur actus intellectus, ergo quo perfectiùs Deus cognoscitur, eo perfectiores circa eum excitantur actus amoris; cum ergo per visionem beatam clariùs longè representetur Deus, quàm per ullam cognitionem viâ, perfectiùs etiam amabitur in patriâ, quàm in viâ. Sed contra: hoc enim probaret, non intensiorem tantum, sed alterius etiam speciei esse Charitatem patriâ à Charitate viâ, quod tamen falsum esse ostendimus supra, Sectione quartâ; diversa siquidem cognitio sola non variat speciem actus amoris, cum, ut ibidem diximus, sit solum diversa objecti applicatio. Contra secundò, hinc namque sequeretur Charitatem minimi Beati esse intensiorem Charitate, quam ipsa Beatissima Virgo in hac vitâ habuit, quod tamen nec ipsi auctores contrariæ sententiæ affirmant. Dico itaque tantum probare hoc argumentum, Charitatem in patriâ esse perfectiorem Charitate in viâ perfectione extrinsecâ & accidentariâ, firmitatis, constantiæ,

I. Obji. Sacras Literas docere Charitatem patriâ esse semper intensiorem Charitate viâ.

II. Quo sensu minimus in cælo major tunc fuerit S. Joanne Baptista.

III. Cur Charitas patriâ comparatur ætati virili, Charitas autem viâ pueritiæ.

IV. Clarior cognitio Dei in patriâ arguit perfectiorem Dei amorem, non intensiorem.

V. Sola diversitas cognitio non variat speciem amoris in viâ & in patriâ.

Tom. II.

constantia, indefectibilitatis, &c. juxta jam superius dicta, non tamen perfectione intrinseca, seu intensiva.

V.

Docet S. Thomas Charitatem patriam superare Charitatem via in perfectione tantum extrinsecam.

Hæc solutio confirmatur ex S. Thoma, qui hic, quæst. 24. art. 7. ad tertium, ubi objectioni factæ quod si Charitas in viâ augeri possit in infinitum, sequatur posse eam adæquare Charitatem patriæ, cum hæc non sit infinita, finitum autem per continuum augmentum per partes æquales pertingere potest ad quantitatem alterius finiti, etsi maximus sit in quantitate excessus; negat se qui posse Charitatem viæ, quantumcunque augeatur, æquare Charitatem patriæ. Ad probationem ait, *Rationem illam procedere in his, quæ habent quantitatem ejusdem rationis; non autem de his, quæ habent diversam, rationem quantitatis: sicut linea, quantumcunque crescat, non attingit quantitatem superficiæ.* Ex quibus constat, juxta S. Doctorem, quantumvis augeatur Charitas viæ, & in gradibus intensiōnis exæquet, imò superet Charitatem patriæ, nunquam tamen æquare in perfectione Charitatem patriæ; ergo de aliâ perfectione loquitur, quam intensivâ, nempe extrinsecâ illâ, quam hæcenus declaravimus. Et per hæc solvuntur varia quæ in contrarium ex S. Thoma à Lorca contra doctrinam à nobis stabilitam opponuntur.

VI.

Quo sensu docet S. Augustinus minimum inter beatos Angelos majorem esse quolibet iusto in hac viâ.

Objicitur tertio S. Augustinus libro secundo contra adversarium Legis & Proph. ubi de beatis Angelis loquens, sic habet: *Quilibet in eis minor, major est utique quolibet Sancto & iusto portante corpus, quod corrumpitur, & aggravat animam.* His similia habet libro de perfectione justitiæ, & ratiocinatione 17. & in Enchirid. cap. 121. idemque tradit aliis locis. Respondetur S. Augustinum locis citatis excessum Charitatis patriæ supra Charitatem viæ non in intensiōne statuere, sed quod in patriâ seclusis omnibus impedimentis toto mentis affectu beatus in Deum feratur, nihilque sit quod hunc ejus in Deum amorem dividat, cumve distrahat, efficiatque ut non integrè Deum amet, ut isthic contingit, ubi, quæ hujus vite est miseria, multa identidem occurrunt, quæ hominem ad se rapiunt, & in causâ sunt quo minus toto animo Deum diligat, eique firmiter adhæreat: unde de actu amoris loquitur S. Augustinus, magis quam de habitu: & libro de perfectione just. ratiocinat. 17. docet nos in cælo amatores Deum ex totâ mente, & affectu, quantumvis in hac vitâ eâ integritate & puritate id præstare non possimus. Nam, inquit, *cum est adhuc aliquid concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodè ex totâ animâ diligitur Deus.* In Enchirid. etiam, loco supra citato, hæc de re loquens: *Ibi, inquit, quis explicet, quanta Charitas erit, ubi cupiditas, quam vel coercendo superet, nulla erit: quando summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.* En ut S. Doct. excellentiam & magnitudinem Charitatis patriæ præ Charitate viæ, non in intensiōne statuit, sed in eo quod firmiter, constanter, & indefectibiliter quis Deo per affectum inhæreat, nullumque sit impedimentum,

Quare non in hac vitâ, sed in cælo tantum, Deum ex totâ animâ diligere possimus.

S. Augustinus majorem charitatis in cælo perfectionem non statuit in majore intensiōne.

quo minus cum perfectè semper diligit.

Concludo itaque, habitum Charitatis in quibusdam viatoribus intensiorem subinde esse habitum Charitatis multorum comprehensorum, seu eorum qui in cælo visione Dei, æternæque beatitudine fruuntur. Quoad idem verò subjectum sine fundamento diceretur intensiorem esse habitum Charitatis in aliquo beato, quam is habuit in hac vitâ. Hæc jam in præcedentibus Sectionibus sunt fusè probata. Quoad actus verò Charitatis, quamvis, ut dixi, intensiores plerumque sint in patriâ quam in viâ, nil tamen obstat, quo minus Sanctus aliquis in hac vitâ intensiores amoris Dei actus eliciat, quam multi beati, quod de Virgine, dum adhuc in hac vitâ degeret, negari nullo modo debet, quæ non est dubium, quindum in terrâ moraretur, actus Charitatis longè intensissimos elicerit.

Quivis tamen actus beati, quamvis in intensiōne inferior actu alicujus viatoris, appetitiuè tamen est illo longè perfectior. Hoc imprimis probatur ex iis conditionibus firmitatis, indefectibilitatis, &c. quæ supra non semel sunt recensitæ. Deinde, cum clariùs per visionem beatificam absque omni comparatione divinam bonitatem, infinitasque ejus perfectiones cognoscat, magis eas æstimat, & rebus omnibus creatis perfectiùs præfert, iisque constantiùs adhæret, unde & Deum appetitiuè magis diligit, omniâque bona creata præ eo perfectissimè contemnit.

Quod si objicias, homines etiam in hac vitâ, Deum diligere appetitiuè super omnia, ergo non potest beatus cum appetitiuè magis diligere, cum perfectiùs amare Deum nullus possit, quam super omnia. Respondetur, etsi quisquis perfectè Deum amat, eum amet super omnia, magna tamen est differentia inter amorem Dei super omnia, qui solum fundatur in cognitione Dei obscurâ & abstractivâ, & amorem, qui oritur ex clarâ & intuitivâ divinarum perfectionum visione: unde videmus homines, etiam sanctissimos, interdum in hac vitâ post amorem Dei super omnia eum relinquere, & alia omnia amplecti, illique res peccando præferre, ut in primo parente contigit, qui cognitionem Dei, quæ in hoc mundo concedi hominibus solet, habuit perfectissimam, & amorem ei respondentem.

Dices cum Durando in 1. Distinct. 17. q. 9. ad primum, non repugnare ut detur in aliquo viatore Charitas tanta, cum confirmatione in gratiâ, præservatione à peccato, & aliis perfectionibus conjuncta, ut censerî possit æqualis æstimationis cum Charitate in patriâ: quod si ita sit, inquit Suarez hic, Disp. 3. Sect. 4. num. 7. planè ita existimandum est de Charitate Virginis Matris, quam in hac vitâ habuit. Veriùs tamen videtur amorem Dei in patriâ esse appetitiuè perfectiorem ullo amore in viâ, ex conjunctione scilicet cum visione beatificâ, unde summum haurit pretium & æstinabilitatem.

VII. *Conclusio hujus difficultatis circa majorem perfectionem in habitu, tum actus Charitatis in patriâ, quam in viâ.*

VIII. *Quivis actus amoris Dei in beato est appetitiuè perfectior amari actu in viatore.*

IX. *Inter appetitiuè amorem Dei super omnia magna est differentia.*

X. *Hominet etiam sanctissimi amorem Dei in hac vitâ inordinatum amittunt.*

XI. *Quid de Charitate via censendum cum aliis perfectionibus quibusdam conjunctionibus conjuncta.*